

*Doc. 53 (Karolus etc. Castellano seu
custodi regii palatii Sancti Gervasii...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 53 (Karolus etc. Castellano seu
custodi regii palatii Sancti Gervasii...)*

1322-09-15

Karolus etc. Castellano seu custodi regii palatii Sancti Gervasii vel eius locumtenenti fideli paterno et nostro salutem.

Providendum noviter duximus fieri per regiam paternum curiam in civitate Neapolis de certis fustibus eiusdem curie balistarum tria milia quadringentas, pro quarum teneriis opportunis nucibus opus habentes ordinandum providimus quod cornua cervorum et daynorum in quantitate necessaria habeantur, ex quibus nuces huiusmodi fieri possint. Ex ipsa itaque cornuum quantitate sexcenta per vos inveniri et mitti volentes fidelitati vestre sub obtentu regie paterne nostreque gratie firmiter et expresse precipimus, quatenus statim receptis presentibus tam in terra Sancti Gervasii quam in terris vicinis ac etiam per forestas et nemora seu defensas custodie vestre commissa cornua cervorum et daynorum, usque ad predictam quantitatem per vos mitti ut prefertur provisam, perquiri et coadunari cum omni sollicitudinis studio faciatis, ex quibus grossities seu radices usque scilicet ad ramos eorumdem cornuum iuxta consilium et provisionem alicuius seu aliquorum expertorum in talibus ut habilius Neapolim deferantur secari et abscidi per dictos expertos in talibus faciatis, quas quidem grossities seu radices cornuum eorumdem utiles videlicet et necessarias pro nucibus supradictis statim Neapolim destinetis assignandas Iohanni de Citro de Neapoli et Iacobo de Ebulo conservatoribus armorum curie regie, nec expectetis grossicies seu radices ipsas in quantitate predicta simul et semel transmitterset eas sicut successive per manus vestras fuerint usque scilicet ad ducentas ad eandem civitatem Neapolis propterea transmittatis, significaturi per litteras

vestras viro nobili domino Dyego de Larat Caserte comiti, magno regni Sicilie camerario, dilecto consiliario et familiari paterno et nostro quantitatem dictarum grossicierum seu radicum eorundem cornuum, quam ad predictam curiam vice qualibet auctoritate presentium duxeritis transmittendam.

Datum Neapoli in anno domini DCCCXXII die XV septembris VI indictionis regnorum dicti domini patris nostri anno XIII. Eodem die ibidem similes facte sunt castellano seu custodi regii palatii Lacuspensilis seu eius locumtenenti super perquirendis dictis cornibus tam in terra Lacuspensilis quam in terris vicinis etc.